

DISSERTATIO

DE JURIS CANONICI PRÆSTANTIA

Nolite errare. Fratres charissimi, doctrinis variis et extraneis nolite abduci. En instituta Apostolorum et Apostolicorum virorum. Canonesque habetis. His fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini....

Julius Papa I ad Episc. Orient.

Ecclesia catholica, columna et firmamentum veritatis, ut tenerrima mater, semper filiorum suorum necessitatibus pervigilat. Ab ipsa ingemiscentis pueruli nativitate usque ad extremum hálitum hominis é vita egredietis, manus beneficentiæ suæ libentissime tendit. Ordinis externi necessitatem considerat ut humanitas universa æternam in beatitudinem ducatur, et fórtiter sapienterque omnibus próvidet. Consilia dulcedinis plena dicat, exhortationes profert, leges universaliter constituit, ut verba sui apostolice ministerii in orbem terræ perveniant maternaliter.

Quapropter, Julius Papa Episcopis orientalibus, de scientiæ sacrorum Cánonum necessitate loquendo, dicebat: *His fruimini.... ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jácula persistere valeatis.* Non aliter sentiebat Romanus Pontifex Coelestinus dum, sæculo quarto, universis Episcopis per Apuliam et Calabriam constitutis, sic lo-

quebatur: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare* (Dist. 38. can. 4 in Corp. Juris Can.) Non aliter Leo Primus, qui, sæculo quinto, hæc mittebat ad Clerum et Plebem Constantinopolitanæ urbis: *Si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia; quanto magis in iis, qui presunt, nec excusatione digna est, nec venia?* (Dist. 38, can. 3 in Corp. Jur. Can.) Tandem, Concilium Toletanum quartum, sæculo septimo, cum ignorantiam videret esse matrem cunctorum errorum, et in Sacerdotibus Dei evitandam, qui officium docendi in populis susceperunt, sic tunc temporis conclamabat: *Sciánt igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat: atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* (Dist. 38, can 1 in eodem loc.)

Et equidem. ¿Quid prudentius quam scientiam sacrorum Cánonum intelligere? ¿Quid necessarius quam eam observare? Eam intelligendo, viam ad æquitatem invénimus, et eam observando, per regulas boni et justii proficiscimur. Tunc, hæc verba Sancti Gregorii Papæ, profecto implebuntur: *Tunc enim status membrorum integer manet, si Caput fidei nulla pulset injuria, et Cánonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas.* (Lib. 13, epis. 37.) Quia ut á præclaro Berardio dicitur: *Quo jure unaquæque societas sibi leges dicere potest, eodem jure sibi leges dicit Ecclesia.* Idcirco adeo antiqua est legum ec-

“clesiasticarum origo, ac antiqua Ecclesia
 “sit, et adeo firma est legum dicendarum fa-
 “cultas, ac firma sit et sancta ipsa Ecclesia.
 “Neque enim ulla sine legibus aliquando
 “consistit, aut consistere societas potest. (Inst.
 Jus. Can. tit. 3)

Propter quod scientiam sacrorum Cán-
 onum valde esse útilem et necessariam omni-
 no est confitendum. Equidem. Hóminis est
 Deo obtemperare, qui voluntatem suam ei
 ostendit sive per rectam rationem, sive per
 admirabilem revelationem. Sed ¿quómodo
 omnia juris naturæ præcepta homo per erro-
 rem circúmdatus discernere atque adimplere
 póterit? ¿Quómodo per vitium depérditus di-
 vini juris positivi præcepta sapienter inte-
 lligere atque ad actiones suas rectè appli-
 care póterit? His in omnibus homo indiget
 auxilio, quod solùm in Ecclesia cathólica in-
 venit, et per scientiam sacrorum Cán-
 onum administratur.

Enímvero, Ecclesia cathólica est columna
 et firmamentum veritatis, ut ait Apóstolus, et
 veritatem omni homini venienti in hunc mun-
 dum non dicere non póterat. Qua de causâ, si
 Civilistæ et Theólogi auxilio Ecclesiæ indi-
 gent, ut máximam utilitatem sibi atque so-
 cietati temporaliter ac spiritualiter præsent,
 hoc ipso scientiâ Canónicâ indigent, per quam
 Ecclesia voluntatem suam sapienter et indu-
 bitanter ostendit.

Quapropter, legibus Ecclesiæ obtemperan-
 do, societas qualiscumque pace ac tranquili-
 tate gaudebit. Jure merito de hac obtempe-
 rantia loquendo, referre verba póssumus
 præcl. D. Craisson: “Si hoc sit verum pro se-
 culari Societate, quanto magis id est affir-
 mandum pro Societate spiritali, pro eâ nem-
 pe Societate quam ípsemet Christus consti-
 tuit super sólídum Apostolorum funda-
 mentum, imprimis super Petrum, *ut portæ in-
 feri nunquam essent contra eum prævaliturae*
 (Matth. c. 16 v. 18); præcipiendo eisdem Apos-
 tolis ut *docerent omnes gentes servare omnia
 quaecumque Ipse mandavit* (Matth. c. 28 v. 20);
 de quibus Apostolis etiam dixerat antea: *Qui
 vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*
 (Luc. c. 10. v. 16) *et: Qui Ecclesiam non au-
 dierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* (Mat-
 th. c. 18 v. 17)? Máximè ergo commenda-
 bilis est auctoritas in Ecclesia existens út-
 pote á Deo instituta; ipsique præcipuè est
 obediendum, ac sancte exacteque obtempe-
 randum ipsius legibus et mandatis. Quâ re-
 ligiosa observantiâ deficiente. non solum pe-
 riclitabitur pax Reipublicæ Christianæ, ani-
 mæque fidelium in perditionem ruent; *sed
 etiam exhine pessumdabitur salus Reipublica
 temporalis, cujus securitas et splendor máximè
 pendet ab exacta observatione legis divinæ,* seu
 á bono statu Societatis spiritalis, quæque
 non bene restaurari valet quam antea Ec-
 clesia in variis suis membris, bene compo-

natur et regatur. (Manuale totius Jur. Can. tom. 1.)

Ex his dictis recte deducitur Juris Canonici præstantia. Propter quod sufficit referre sententiam docti Patris Murillo S. J. Hæ scientia, ait, est valde utilis et necessaria, non solum Civilistis, sed Theologis, cum sit portio quædam Theologiæ, et partialis quædam Theologia, quæ practica vocatur. (Cursus Jur. Canonici.)

Ad agnoscendam autem juris Canonici super civile præstantiam, sufficit originem, objectum et finem utriusque considerare. Primò differunt *origine*, quia ut ait Zallinger (Lib. 3 cap. 4 de Jure Nat. Pub.) "Origo imperii civilis est a Deo ut auctore naturæ, neque naturæ ordinem, ac limites transcendit: origo imperii ecclesiastici a Deo est ut collatore gratiæ supernaturalis, proindeque longe altioris ordinis, quam ut cum ulla re temporali in comparisonem venire, aut pretio comparari possit." Secundò differunt *objecto*, quia ut ait Card. Soglia, "jus ecclesiasticum spiritualia et sacra moderatur; civile politica et temporalia." Tertiò differunt tandem *fine*, quia ut idem loquitur auctor, "jus ecclesiasticum æternam hominum beatitudinem præcipuè spectat; civile vero temporalem tantummodo felicitatem."

Ex quibus dictis, juri civili canonicum antecellere ratione potestatis, objecti et finis plane recteque concluditur.

Cæterum, hanc juris canonici excellentiam æquitas et justitia doctrinæ suæ legitime postulat. Hæc æquitas et justitia in multis juris civilis legibus non inveniuntur. Quis etenim notabiles et permultas juris civilis differentias et contrarietates non videt? Quis ex Jurisconsultis eas non observat? Brevitatis causâ de hoc pauca dicam. Juxta jus civile, possessor malæ fidei, ut ait Reiffenstuel, res sic possedas præscribit tempore longissimo (*L. Sicut in Cod. de Præscrip. 30 vel 40 ann.*) Secus est juxta jus canonicum (*Cap. ult. de Præscrip.*) ubi leges civiles allegatæ, velut nutritivæ peccati expressè revocantur. Juxta jus civile matrimonium etiam consummatum, dissolvitur quoad vinculum per ingressum religionis (*Auth. de Nuptiis § Distrahuntur*). Secus est juxta jus canonicum, quia per illam causam dissolvitur duntaxat matrimonium ratum, non consummatum (*Cap. Ex publico, 7, de Conversion. conjug.*) Juxta jus civile usuræ censentur licitæ *L. I. ff. de Usuris.* Secus juxta jus canonicum, quia usuræ sub gravissimis pœnis prohibitæ sunt. (*Cap. 4 de Usuris.*)

Mérito proinde concluditur á Reiffenstuel, quod quanto anima præfertur corpori, tanto jus canonicum est dignius civile (*In Præm. Jur. Can. tom. 1.*)

Quamquam vero in veritate nitatur et ab omnibus Jurisprudentiæ peritis nullo non tempore firmetur; verumtamen, etiam jugiter

evidenterque cognoscitur jus ecclesiasticum omnia inter jura, præter naturale divinumque positivum præeminentiae lauream præ se ferre.

Siquidem, hoc jam omnium jurisconsultorum judicio vere admittitur, et veritatis signo ab omnibus indubitanter condecoratur. Juris civilis præstantia fere in tenebras revertitur cum de jure canonico breviter loqui intendimus, illius præstantiam propugnando.

Juris canonici supra jus civile præstantia per se ostenditur, ait quidam præclarissimus doctor: "Præstat *origine*; quia promanat ab ipso Christo, et á potestate mere spirituali Petro ejusque in apostólica Sede successoribus immediate á Christo communicata. Præstat *universalitate*; quia óbligat omnes Christi fideles per mundum universum sparsos. Præstat *materia*; quia hæc spitualis est vel spiritali annexa. Præstat *fine*; quia æternam naturalem supernaturalemque intendit." (*Bowix citando Schmalzgueber S. J. in Opere, De Principiis Jur. Can. cap. 3.*)

Equidem, homines in scientiis eruditos Jus Canonicum laudantes nos indubitanter invenimus. Sic Imperator Justinianus his verbis scientiam cánonum extollebat: (*Novell 38 cap. I.*) *Oporteat examinari secundum sacras et divinas regulas quas etiom nostræ sequi non dedignantur leges.* Sic etiam hæc scientia extóllitur ab Operibus insequentium auctorum: Card. Tar-

quini S. J. De Camillis; Vecchotti; De Angelis et Sanguineti S. J. aliorumque sanæ doctrinæ.

Ex his omnibus magna Juris Canonici præstantia recte deducitur.

ORATIO

DE

LINGUÆ LATINÆ PRESTANTIA

Latinitas est expugnationum orbis, Romanorum idioma; est scientiæ lingua. Atque procul dubio, lingua quæ omnium est linguarum regina, Religionis esse lingua merebat.

L. G. de Segur.

Evidens est verbum esse perfectam idearum expressionem, formas evolutionesque illius ita esse diversas ut multa idiómata perplúraque dialecta grammaticali in mundo stellarum instar turmatim circumvólitent.

Enímvero. Quot linguarum genera inveniuntur! Quam perpulchra et modulata idioma in præsentia magnis in óppidis coluntur! Pauca de Latinitate loquar, ac in tenebris ejusdem præstantiam permanere nunquam per me licebit.

Vix ab incunábulis Ecclesia oritura, vix *evangélicum* divinumque germen producturum, vix e somno lethaliter suscepto mundus surrecturus, cum disciplinarum et artium jam vexilla per orbem extollebantur. Jam præclarissimi et fortissimi viri omnibus in scientiis

eruditissimo ardore linguam Latii excolebant. His loquar de viris? eorum laudes proferam? an melius taceam? Taceo. Et vere. Quia dum gloriæ prætermittuntur, confitentur; dum silentur, conclamantur. Unum dicam, ut de ejusdem pulchritudine deinceps loquar, virgilianam linguam ab Ecclesia fuisse in locis etiam longinquis breviter diffusam jugiterque adoptatam. Qua de causa certe decantare jam possumus, ut his optimi pereloquentisque Virgillii carminibus utar: *Claudite jam rivos pueri; sat prata biberunt.... Adspice venturo ut omnia lætantur cœlo.*

Sed quid et quibuscumque verbis de Ciceronis linguæ pulchritudine loquar? Quid de ejusdem utilitate veris in principiis perspiciendis? in sophismatibus repulsandis, in légibus perpendendis, in dogmatibus defendendis? Quid? quod ratio éxigit, quod sensus petit et á sapientibus omnium sæculorum mire extollitur.

Siquidem, nostra hæc pulchra et vere pulcherrima lingua, non sine merito *Religionis lingua vocata, omnia omnibus* jam nobis in posterum est nominanda. Certe. In luctu luctuosa appáret, in gaudio lætabunda, in vatibus poetica, in Religione gravis, in scientia auxiliatrix, in veritate propugnatrix, omni et in Ecclesia gubernatrix.

Quemádmódum non est prætermittendum generalem grammaticam studio linguarum scientifico viam patefacere, sic Latinitatis dignitas, excellentia, pulchritudo et claritas

005036

nobis sunt præferendæ. Præter Latinitatem, omnes inter linguas, alia non est quæ jure merito universalitate gaudeat. Inter indum et afrum moratorem, inter gallum et anglum, hispanum et britanicum, et ferme in orbe terrarum, Latinitas auditur et observatur, conspicitur et contemplatur, tamquam unum ex monumentis triumphi, monumentis gloriæ, monumentis veræ felicitatis mundo. Hoc idiomate catholica Ecclesia omnibus in suis semper utitur, et vere hoc utitur, quia Religio immutabilis, ut catholica, non nisi immutabili idiomate erat utenda.

Quis de Latinitatis pulchritudine et claritate affluenter loqui poterit? Paucis absolvam brevitate causa. Hæc lingua diversos humani cordis sensus benè exprimit. Præclarorum vatum scriptorumque opera perlegamus; paululum conspiciamus modulata carmina Ovidii, et Virgilii, et Horatii, et multam permagnamque exactitudinem inveniemus. Permulta videamus poemata scriptaque Ecclesiæ, ejusque classicorum scriptorum, et illic in Augustino dignitatem, in Ambrosio affluentiam, in Gregorio dulcedinem, in Hieronymo et Thoma gravitatem, in Bernardo modulationem; et tandem, in hymnis Ecclesiæ et dignitatem, et affluentiam, et dulcedinem, et gravitatem, et modulationem fideliter invenimus.

Propterea quod, quamquam in quibusdam gymnasiis Latinitatis lingua in oblivionem

relinquitur vel præclara inter studia inaniter adponitur, attamen hujus linguæ meritum nunquam est nobis prætermittendum. Omni tempore ubique gentium, Latinitas velut cognitionis thesaurus existimata semper fuit. Hoc enim sermone super omnibus scientiis elucubrationes suas perplura et præclarissima ingenia conscripserunt. Quis hoc infirmari aliquando poterit? Hoc philologus confirmat, et philosophus scrutatur et theologus et jurisconsultus proclamant et aliis ab eruditis viris non rejicitur. Quamobrem, quicumque in scientiis plus plusque progredi desideret, Latinitatis linguam, quæ Ecclesiæ idioma est, illi libentissimè colendum.

Quàm igitur verè et breviter et pereloquenter dicitur: "Latinae linguæ permagnæ sunt, et ad loquendum et ad rectè sentiendum utilitates!"

Quàm bene loquitur Nebrissensis, tractando de Latinitatis præstantia cum lingua Hispana conjunctæ! Ejus verba fideliter audiamus: Quæ sunt duæ illæ viæ, quibus tantòpere jubeo vos insistere? Nimirum, ut latinam lectionem vertatis in sermonem Hispanicum, atque é diverso Latinis Hispanas voces permutetis. Non obstat alterum studium alteri, imo se invicem juvant....

Propter quod, quotiescumque præteritis præsentibusque temporibus præclarissima disciplinarum et artium facta videmus, uno ore veritatem Ælli Antonii prolatam confite-

mus. Duo enim idiomata Latii et Hispania, id ætatis fere universalitate gaudentia, sunt in verbis necessaria, in formis integerrima, in locutione pulchra et ad culturarum gentium communicationem pulcherrima.

Equidem. Si græcorum lingua jam ab incunâbulis exspectationem mundi atrahebat, et ejus expressioni modulationum plenæ jam olim Horatius poeta invidebat, Latinitatis lingua id generis suo in gradu fuisse, nobis libentissime est confitendum. In oblivione relinquentes tempora ante Augusti sæculum præterita, hilâriter possumus inspicere omnia recentia Latinitatis triumphâ, omnia monumenta, et pulchritudinis, et sublimitatis, et honestatis necessitatisque plena. Hodie, nos procul dubio proferre possumus, (ut verbis Ciceronis utamur) plenam esse exemplorum vetustatem, plenas sapientium voces, plenos omnes libros, quæ in propâtulo præ cæteris idiomatibus Latinitatem extollunt. Omnes fere scientiæ et humanitatis artes, ut rîvuli pacifici, ex hac lingua assûmunt vitam, et conservationem, et omnibus in partibus vulgaritatem. Quanta Latinitatis præstantia!

AD SACRATISSIMUM COR JESU

HIMNUS

Magnâ lætitia mentis et animæ,
Magnâ delicia cordis amâbilis,
Cor Jesu, tibi offertur in omnibus,
Multam laudibus gloriam.

Quòd dilectionis, quæ émicat ángelis,
Tu fons Deificus, qui irrigat ómnia,
Quæ per te fuerunt sancta ab initio
Exsultantius hómini.

Omnes unánimes gentes fidéliter,
Jesu, te enúmerant Patrem á sæculo,
Quòd vita incólumis dédita hilâriter
Olim Calvariaæ loco.

Æterne oh Fili! Patris afábilis,
Pro nobis déditus Vírgine cándida
In lucem, sólito ómnibus áccipis
Contemptus gregis ímpiaæ.

Sed vita angelica sérvuli pérfidi
Servivit tibi, ut dulcia múnera,
Hæc terra, oh Deus! ínsita lácrymis
Esses filiis hóminum.

Semper sic dícimus vocibus íntis,
Semper sic cánimus nos tibi súbditi,
Ut sinus animo júgiter ávidi
Et Cordis tui gáudii.

AD JESUM CHRISTUM

ODE

Dulcis amoris, diligende Jesu,
Fontem æternam tuo puro Corde
Nobis ostendis, neve diligamus
Vitia mundi.

Pro nobis natus pauper in Bethlem
In crucem fixus fuisti libenter,
Mortem obeundo dolore magno
Propter amorem.

Quid tibi, Pater, nosque offeremus
Pro tuis præclaris ex alto donis,
Si in te horribilia tantum habemus
Crimina magna?

Quanta lætanter nobis verè mittis
Cum legem sacram verè exaudiamus,
Deinde fulgentem gloriam donando
Hómni justo!

Nunc memorando tua sacra facta
Quæ jam in vita non ejicientur,
Affluenti corde tibi dicamus
Opera nostra.



AD BEATISSIMAM V. M.

GUADALUPENSEM

HYMNUS

Pignus ætérnum María alma Virgo
Hóspiti osténdit, véniens in orbem.
Ut piæ Mátris fuérit por omnes
Méxici terra.

Jám satis illic hominúmque vita
Tártari nexu bene acquisíta;
Sed vigil Virgo ibi átque tollit
Crimina multa.

Quidque demissè hódie offerémus
Filiæ Matríque bonum Donántis,
Cùm jam æterne Filium donavit
Misericordem?

Sémper affecti, pia Virgo cœli,
Quam piè laudant pópuli per orbem,
Nos tuas léudes resonáre dignas
Péllimus atque.

Atque lætánter tibi jam dicámus
Sápphicum nostrum Latii vocatum,
Ut bene admittas míseros canétes
Cármina parva.

